

πn
3358





II n
3358

Q. D. B. V.
HISTORIAM
EPISCOPATUS
CAMMINENSIS,

ab
Originibus
ad
præsentem usque statum
repetitam,

SUPERIORUM PERMISSU,
*publico Eruditorum examini
submitunt,*

PRÆSES
M. MICHAEL ZÜLICHIIUS,

&
RESPONDENS
ANDREAS JURIS,
Stolpâ - Pomerani,



J E N Æ

A. d. V. Maji
H. L. Q. C.



ANNO clō lōc LXXVII.

Literis Johannis Jacobi Bauhoferi.

18

R 18.



HISTORIAM
EPISCOPI
CAMMINENSIS

Originalibus
praesentem usque factum
SUPERIORUM PERMISSU

M. MICHAEL ZÜLICHNIUS

RESPONDENS
ANDREAS JURES




ANNO MDCLXXVII

Licentia Johannis Jacobi Bacheler

215





I. N. J.

PROOEMIUM.



istoriam Episcopatus Camminensis, multis imprimis immunitatibus, juxta ac plerorumque Præsulum insigni virtute & illustri generis splendore incluti, à primordio ejus ad præsentem usque rerum statum repetiturus, actum agere videri cuiquam possum, quandoquidem jamtum non pauci huc operam suam contulerunt. Etenim ut præcipuos rerum Pomeranicarum Scriptores, & in his Bugenhagium, Cramerum, Micrælium, aliosque à Micrælio in frontispicio Chronici laudatos, utpote qui Camminensia pro re nata tangunt, nonnunquam fusius describunt, præteream, P. Wuja Canonicus Irregularis Camminensis *Historicam Synopsin Episcoporum Camminensium* scripsisse legitur: quem hanc historiam eò accuratius tradidisse, quo minus subsidia ipsi defuisse, credimus hoc argumentum illustrantia. Sed nulla hæctenus hujus scripti, quamvis non minima industria quæsitæ, facta mihi est copia. Ceteri vero, cum qui res Ecclesiasticas seorsim, tum qui, ad Reip. statum quæ spectant, cum his conjuncta tradidêre, hanc historiam vastis suis voluminibus inspersam reliquerunt. Quare non omnino actum agere videri poterimus, si, quæ alii sparsim, nos continua serie, non quidem omnia (id dissertationis, quam molimur, limites non permittunt) potiora tamen, latine (nam Cramerus & Micrælius, quorum opera imprimis usi, in Chronicis germanice scripserunt) exhibeamus, adeoque lineamenta ducamus majoris (si DEO ita visum) operis, quod quidem tanto parabimus alacriores, quanto æquiores hæc lectorem censoremve nacta fuerint. Sit igitur

A 3

AU-

AUSPICE JEHOVA.

CAP. I.

tradens

EPISCOPATUS CAMINEN-
SIS ORIGINES, FINES,
IMMUNITATES.

§. I.

Bernhardus erat Eremita, natione Hispanus, qui, hortatu Bolezlai Ducis Poloniae, Pomeranos, gentem in ipsa barbarie hospitalitatis & mutui candoris laude vix ulli secundam; ad Christum convertendi animo primus, sed frustra nec sine vitae periculo est aggressus: nimia faciei, intempestivis jejuniis contracta, macie, habituque mendicorum magis, ex gentilium sententia, quam DEI Apostolum (qualem se praedicabat Bernhardus) decente, in eam opinionem re adducta, ut lucris sedandaeque famis ergo omnia agere videretur.

§. II. Hinc OTTO, illustri Comitum ab Andechs genere, Patre Bertholdo; Matre Adelheida (Sophiam vocat Micraelius) Ebersteinia natus, ex ludi privati moderatore, Ducis Poloniae Uladislai Hermanni Senator Consiliarius, post Henrico IV. Imp. à Secretis, eique deinceps Cancellarius, ac denique Bambergensis Episcopus octavus, dirigente Divina Providentia, Auctore eodem, quo Bernhardus, Bolezlao, Fautore Wartislao Pomeraniae Principe, religioni Christianae jamtum initiato, comite Paulizky, qui Bolezlao à consiliis, expeditione suscepta, cum feliciore successu rem gessisset, factoque à Piricio, ulterioris Pomeraniae oppido, initio, plerosque Christiana fide imbuisset, ne ad idololatriam relaberentur recens conversi, secundam curam habuit.

1124.

§. III.

§. III. Hac ut sese exoneraret, neque idem à secundo habitu ab aliis, quod post primum à Stetinensibus & hos secutis Julinensibus ad idololatriam reversis, experiretur, de constituendo, cui suprema religionis crederetur per Pomeraniam cura, Episcopo cogitationem suscepit, re cum Principe supra laudato communicatâ. Qui cum facilis assentiretur, *Julinum* Episcopatus sedes legitur.

§. IV. Urbs hæc erat occidentalis Pomeraniæ, in *Wollina* insula (hodie *das Wollinische Werder*) sita. Conditorem ejus *Julium Cæsarem* volunt nonnulli; quamvis plane non est, quo demonstrent, unquam has oras attigisse Cæsarem. In honorem tamen ejus plerique conditam existimant à *Julii* nominis, cujus universum orbem occupaverat celebritas, cultoribus & *Julini* nomine, & quam eximiam magnitudinis statuae insertam incolas coluisse ferunt, *Julii lancea*, adducti. Quod si ita se haberet, constaret facile, quanta huic civitati antiquitas.

§. V. Nec minor amplitudo: quandoquidem non desint, qui post *Winetæ* everisionem, primas ei inter celeberrima, quæ ista numeravit ætas, Europæ emporia tribuere non vereantur.

§. VI. Incolas, quamvis belli laude non ignobiles, magis tamen præ Marte nobilitavit *Mercurius*. Traditæ à majoribus, in *Triglassi* cultu, superstitionis fuere tenacissimi. Hinc *Bernhardum* urbe ejectum piscibus prædicaturum miserunt; *Ottone* quoque vix ac ne vix manibus rabidæ plebis elapso. Primores tamen non adeo urbanitatis immemores par est credere, quippe qui omni culpa in furorem vulgi translata, sat modesta oratione, *Stetinum* dimiserint Episcopum, hujus ceu antiquioris exemplum se secuturos polliciti.

§. VII. At uti in suspicienda fide, audito de ejus conversione, ultro Episcopum revocantes, *Stetinum* sunt secuti;

sic quoque in deferenda: non tamen impunē, ultrice DEI flamma, qua maxima pars urbis conflagavit, tantam impietatem & effusas in Christum blasphemias cœlitus expiante. Unde tanto faciliores Ottone reverso ad meliorem mentem redierunt.

§. VIII. Hanc urbem, allecti non tantum situs commoditate (posita scilicet in ipso, uti tum erant tempora, Pomeraniæ medietate) sed præfracta quoque civium malitia incitati, exstructis duabus Basilicis, & tiam Adelberto tradito, Episcopali sedi dicarunt, anno à Christo nato clo c XXVIII.

1128.

§. IX. Sic igitur Julino suos debet natales Episcopatus noster, vocatus principio Pomeranus; quamvis non diuturna Julino fuerit hæc honoris prærogativa. Nam cum & terra ab Heinrico Leone Saxone, & mari à Danis peteretur, *Camminum* consentiente Principe secessit Episcopus. Julinum vero ab ipsis incolis incensa nunquam pristino flori restituta, tandemque penitus vastata est, sic ut præter rudera nihil hodie tantæ amplitudinis reliquum.

§. X. *Camminum* contra non Episcopi solum, sed Julinensium quoque asylum, variam experta fortunam, in præsens usque tempus floret. De conditore ejus magnum apud omnes, quos nobis videre licuit, historicos silentium, nec nominis origines, quas ex Slavicis tamen ducendas conijcimus, quemquam scio detexisse. Ceterum hac imprimis splendet gloria, quod Wartislai sedes fuerit, nec multum negotii faceffiverit Ottoni ad Christum eam conversuro, animis civium jam ab Heila, Wartislai Conjuge Christiana, delinitis. Nobilis vero quædam matrona, cum Paganismi tenax die festo falcem messi admotura obtorpesceret, & incurvata animam efflaret, adeo Divinæ manûs exemplum vicinorum perculit pectora, ut sponte sua Baptismi sacro fonti se sisterent. Ornavit Otto urbem templo, templum altari, suis sumtibus.

§. XI.

§. XI. Anno clō c LXXVI. *Lubbinum* aulam suam 1176.
Præsuli cesserunt Bogislaus I. & Casimirus I. Principes. Op-
pidum in potestatem Episcopi nunquam venit, nisi quando
Conrado IV. anno clō ccc XXI. (quod apud Micrælum,
l. VI. in Cammini descriptione, errore typographi ad istum
præcedentis seculi annum referri putamus) ab Ottone I.
Wartislao IV. & Barnimo III. venditum. Redemptum ta-
men anno ejusdem seculi supra quinquagesimum quin-
to à Bogislao V. Barnimo IV. & Wartislao V. Adeoque
præter nomen, quod etiamnum manet territorio Episcopali,
à Cammino aliquot milliaribus diffito, & templum, Episco-
patui Camminum nihil dedit.

§. XII. Primitus namque decimæ tantum Vkermar-
chiæ &, quæ hodie vocatur, Neomarchiæ Præsuli fuerunt
facræ. *De aratro*, ut scribit Helmoldus Chron. Slav. l. I. c.
LXXXVIII. (quem verbotenus exscribit Krantzius l. IV.
Vandal. c. XXXVI.) *tres modii siliginis & duodecim nummi mo-
netæ publicæ.* Succedente tamen tempore loco decimarum,
oppida nonnulla adeoque sextam fere Pomeraniæ partem
accepit Episcopus.

§. XIII. *Stargardia* cum castro, & qui his adjacet, agro
A. clō cc XL. prima in decimarum locum (ignotum quo 1240.
pacto) in potestatem Episcopi venit. Anno superiori, nem-
pe seculi decimi tertii nono & trigesimo, Hedvvigam Bar-
nimi I. filiam matrimonio sibi junxerat Johannes I. Elector
Brandenburgicus. Huic pro dote Pomeraniæ partem, quæ
hodie Neomarchia audit, una cum Ukermarchia cessione So-
cerum, memorant annales: an salvis Episcopalibus rediti-
bus, non sine causa ambigas. In horum ergo supplemen-
tum, dictam civitatem Episcopatui tributam, suffragante ipsa
temporis ratione, admodum videtur probabile. Sed aliorum
hac de conjectura esto iudicium.

§. XIV. Quomocunque demum sese res habuerit,
diu

277
diu tamen Stargardia hoc Domino non fuit usa. Wilhelmo quippe Episcopo, qui A. clō cc XLIX. Episcopatum deposuit, cum Colberga & Cörlino est permutata, numeratis ab Episcopo, ut emtionis titulus pactis præferri posset, clō Io Marcis. Neque tamen hæc omni carent dubio. Eandem enim permutationem anno clō cc LXXVI. factam Micrælius refert l. VI. p. 573. Cörlinum item l. c. p. 618. ab anno seculi decimi tertii quadragesimo Episcopale fuisse oppidum tradit.

§. XV. At priori factum putamus satis, si permutationem à Wilhelmo initam ab Hermanno LXXVI. anno consummatam dixerimus. Quod responsi vel ipse subministrat Micrælius, quando part. II. l. III. p. 639. diserte scribit Colbergæ possessionem à Barnimo I. & Bogislao IV. Hermanno esse confirmatam, qui procul dubio reliquam pecuniæ summam pependit, ut MMM D Marca fuerint completa. Ad posterius quod attinet, aut completum numerum pro minus completo usurpatum crediderim equidem, aut Cörlinum cum Stargardia Episcopo concessum, eoque non hoc, sed Cöslinum potius cum Colberga conjugendum. Qua de re viderint alii: nobis certa definire non est integrum.

§. XVI. Præter recensita oppida Neogardiam quoque Gülzovium & Bublitzium Episcopo paruisse cognoscimus: quo nomine; de singulis non perinde liquet. Neogardiam anno clō cc LXIII. Ottoni Comiti ab Eberstein in feudum, ab Hermanno à Gleichen Episcopo, datam legimus; Bublitzium item à Friderico ab Gießstädtten Popus & Vitus à Barttskouen / una cum arce & quingentis agris acceperunt: quo jure utrobique latet. Nec quid Micrælius sibi velit, Jaromaro Ecclesiam regente, Neogardiam Episcopatu tributam, & paulo post ab Ottone I. redemptam, p. II. l. III. p. 640. scribens, videmus. De Gülzovio res est expeditior. Anno quippe

pe clo ccc III. mille ducentis marcis à Schmelingis & Wedelstediis emtum, ditioni Episcopali adjecit Henricus.

§. XVII. Hæc sunt oppida, quæ sceptro non minus, quam pedo Episcopi subiecta. Neogardia tamen, quod Comiti ab Eberstein in feudum data, Episcopali territorio adscribi non solet. Pagorum Episcopo subditorum nomina numerumque hic admetiri, nihil attinet.

§. XVIII. Ecclesiastici regiminis, à condito Episcopatu, ad instauratæ per Lutherum veræ doctrinæ tempora, iidem semper fuere, qui totius Pomeraniæ fines. Exin Principibus in reliquis Provinciæ partibus Jura Episcopalia maxime per Ephoros (Superintendentes quos vocant, Stetinensem & Wolgastensem) exercentibus; jurisdictio Ecclesiastica Episcopi iisdem, quibus politica, limitibus fuit circumscripta.

§. XIX. Prout vero Episcopatus noster à Pomeraniæ Principibus, ante data Imperio Germaniæ nomina, conditus, sic nullo peculiari ordinis jure eidem fuit innexus, adeoque non nisi Principes Patronos agnovit Episcopus, hosque ut Dominos veneratus est, præstito etiam homagio, absque ulla tamen dignitatis aut immunitatum detrimento.

§. XX. Hinc etiam sui semper juris mansit Ecclesia Pomerana, nulli unquam Archiepiscopo subiecta. Quamvis enim (quod infra memorabimus) Gnesnensis Poloniæ Archiepiscopus plus vice simplici suæ eam diœcesi voluerit adscriptam, imo Chytræus, citante Micrælio, Bremensi adscribere non dubitet, fefellit tamen istum conatus omnis, adeoque falluntur quotquot Chytræum secuti *Bremensi*, vel etiam cum Philippo Ferrario Lexici Geographici autore, sive *Gnesnensi*, sive *Magdeburgensi* Archiepiscopo tribuunt, aut cum Cromero in *Historia Polonica* p. 34. à Gnesnensi avulsam dicunt. Rectissime Æneas Piccolomineus Senensis Cardinalis in *Commentario de Europæ statu* sub Friderico III.

B

rico III.

rico III. Imp. cap. XXIII. *Caminum Pontificalis civitas, cuius diœ-
cesis latissima est, nec minor Moguntina creditur. Episcopus loci
Romano duntaxat Præsuli subest.*

§. XXI. In hujus signum immunitatis pallium, cuius-
modi Archiepiscopi, ut ab Episcopis dignosci possent, sunt
usi, à Principibus Antistiti conferrî consuevisse, tradit Mi-
crælius l. VI. p. 440. Quando autem ex eo, quod Suffra-
ganeum licuerit alere Præsuli, quod soli Trevirensi & Co-
loniensi putat licuisse, eminentiam ejus citato loco colligit, ni-
si forte de priscis temporibus intellexeris, vel *Historia Episco-
patus Halberstadiensis* reclamabit *Excellentissimi Casparis Sagitta-
rii, Historiarum Professoris in hac nostra Salana Celeberrimi, Patroni
ac Evergetæ mei suspiciendi*, utpote quæ non solum Archiepisco-
po Magdeburgensi Suffraganeum Henricû fuisse §. LXXVI.
docet, verum etiam *Gebhardum* Episcopum Halberstadiensem
XXXVIII. suffraganeo Ecclesiastica omnia transmisisse,
ex Winnigstadio, §. LXXIV, commemorat, sub finem
vero §. LXXVI. *Suffraganeo Halberstadiensi, Paulino, Acronensis
Episcopi* titulum à Pontifice ait concessum.

§. XXII. Id vero dignitatem nostri Episcopatus uti-
que auget, quod à conditâ Gryphiswaldensi Academiâ, Epi-
scopus Cancellarii Academici munere functus, singularum
Falcultatum Decanis Doctores creandi potestatem dederit.

§. XXIII. Insignia Episcopalia hic quoque non vi-
dentur prætereunda. Illa sunt crux rubra in clypeo, &
galeæ impositus tiaras, quem duo decussatim posita ambi-
bant peda Episcopalia. Alias crucem prætulerunt candi-
dam, rubri coloris tabulæ inclusam. Quæ præterea hic af-
ferri poterant, ne infrâ cum tædio sint repetenda, suis re-
servabimus locis.

CAP II.

CAP. II.
exhibens
**EPISCOPORUM CAMMI-
NENSIUM**, qui ante Lutheri re-
formationem vixerunt, breuem catalogum.

§. I.



umerum Episcoporum initurus non possum non in antecessum monere, quod in diversa hic abeant Scriptores. Etenim qui Cramero quartus est vigesimus, *Martinus Carith*, *Micraelio* censetur ordine quintus vigesimus, aliis etiam sextus vigesimus, ut ex sequentibus patet versiculis, quorum vel ipsæ inficitæ vetustatem arguunt.

Ordine Pontifices hoc cernuntur Caminenses:

Primus Adelbertus, Conradus eratque secundus.

Sigfridus ternus, hinc Sigvvinusque quaternus.

Conradus quintus: Conradus postea sextus,

Post hunc septenus VVilhelmus regnat amoenus.

Hermannus sequitur, hic octavus perhibetur.

Princeps Germanus, nonus regnat Rugianus.

Prædicat hinc Petrus Antistes in ordine denuus.

Post hunc undenus Henricus. Et hinc duodenus

Ordine Conradus sequitur præsul venerandus.

Arnoldus frater tredenus prædicat acer.

Postea Magnus quartus decimus Fridericus,

Princeps quindenus Johannes mente serenus,

Post hunc Philippus Rehberch cognomine dictus,

Hinc confirmatus Johannes non coronatus,

Præventus morte prætenditur invidiose,

Octavus decimus Hanecovv natione Bohemus,

B 2

Postea

Postea Johannes regnat Dux Apoliensis.
 Quem cruce signatus Prusia sequitur Nicolaus,
 Saxonie post Dux retinet moderamina Magnus.
 De Buck Siegfridus vicesimus atque secundus.
 Post hunc Henningus Iuven vicesimu' ternus.
 Quem de Fregeno sequitur Italusq; Marinus
 Vicesimu' quartus, comitatur hunc Benedictus,
 Qui fuit Moravus, vicesimus ordine quintus,
 Carith Martinus de Cothberch prodit optimus
 Virtuti nexus serie vicesimu' sextus.

§ II. Peccare tamen aliquoties hunc versificatorem
 in texendo Præfulum catalogo, infra ostendemus; nec Cra-
 mero conciliare Micælium difficile erit, si attendamus hunc
 Matriculam Camminensem, cui forsitan in gratiam Papæ
 fuit insertus, secutum, *Johannem ab Apulia* in Episcopis recen-
 sisse, quem Cramerus, ut à Principibus rejectum, prætermisit.
 Singulos nunc ordine contemplabimur.

I. §. III. Primus qui novitiæ Pomeranorum Ecclesiæ
 præfuit, ADELBERTUS erat, natione Francus, quem ex
 Magdeburgensi Monasterio, Otto sacram expeditionem
 suscepturus, comitem adsciverat, ac Julinensibus reliquerat
 Pastorem. Vandalicæ linguæ, quæ tum erat Pomeranis ver-
 nacula, apprime callentem fuisse tradunt. Posteaquam ve-
 ro de condendo Episcopatu cum Principibus Ottoni conve-
 nerat, eundem quadrigæ, ut scribit Micælius, rectius trigæ
 fratrum Principum Wartislao I. Ratiboro I. & Bogislao
 (Svantipolcus enim octavo anno ante decesserat) commen-
 davit, ac, ut solenni vocabulo id efferunt, *præsentavit*. Ab his
 cum facile acciperetur, A. c. l. o. c. XXVIII. Episcopus est
 constitutus. Vir ut raræ modestiæ, sic singularis in re ge-
 renda solertiæ. Illius quidem documentum arbitramur ma-
 nifestum, quod vivo Ottone Episcopalis tituli abstinens,
 anno demum trigesimo dicti seculi, cujus XXX. Septembris
 dies

1128.

die Ottoni fuit emortalis, eundem usurpare cœperit: ac-
cedente non multo post, anno scilicet c l o c XXXVI. no- 1136.
vi Episcopatus, ab Innocentio II. Papa factâ, confirmatione.
Hujus vero testes habemus **Grînen/ Tribbesees & Barth/**
urbes in confiniis Stralesundæ sitas, summo studio ab ido-
latriæ reliquiis purgatas: cœnobia item, ipso autore, in re- 1151.
ligionis Christianæ seminaria, exstructa. Anno quippe
c l o c LI. Ratiborus Monasterium *Stolpam*, quo loco War-
tislau frater ex insidiis A. c l o c XXXV. occisus, fundatum
Benedictini ordinis Monachis consecravit. Eodem anno
Groba cœnobium in Usedomia à jam laudato Principe ejus-
que Coniuge, quibus sepulchri quondam foret sedes, legi-
tur conditum, & ab Adalberto nostro decimis è regione
Groszyn ditatum: quod tamen duodetrigesimo post ja-
cta fundamenta anno in montem Mariæ (vulgo *der Kloster*
item S. Marienberg) inde autem *Pudglam* est trans-
latum. *Krantz* um I. VII. *Vandalia* c. XVII. jacta *Stolpæ*
fundamenta *Casimiro* tribuere, non miramur, quandoqui-
dem pleraque ejus capitis in mendo cubant, ipsomet fatente
nihil certi se investigare potuisse. Decessit Adelbertus Juli-
ni A. c l o c LVIII, d. XVII. Novembris. 1158.

§. IV. Excepit hunc eodem anno **CONRADUS, II.**
studio promovendi cultum Divinum Antecessori minime
secundus. Hoc Episcopo A. c l o c LXIII. *Bogislaus I.* & 1163.
Casimirus I. *Wartislai* filii, Monasterium *Beibuck* propter
Regam, è regione *Treptovia*, in gratiam *Præmonstatensi-*
um; *Wartislau* vero II. *Ratibori* filius *Colbaz* (*Kulpassa*
Vandalice, quod *lucanicam* significat) in gratiam *Benedi-*
ctinorum, fundaverunt: & hoc quidem procedente tempo-
re est adeo locupletatum, ut XXIV. pagos in potestate ha-
beret, ac quotidie XC. modios frumenti ex molis reciperet.
Conradus hoc cœnobium, præsentem *Conditor* & Episcopo
Meklenburgensi, ded. cavit. *Oliva* item *Gedanensium* hoc

1170. tempore, anno scil. clo c LXX, conditore Subislao Svanti-
 1173. bori ex Bogislao nepote, primordia cepit. A. clo c LXXIII.
 Mirografus Nobilis Lutitius *Abbatiam Dargun* consensu
 Principum instituit. *Monasterium Virginam Berchen* à Barthes
 & Heinrico Ravis fratribus fundatum, à Conrado consecra-
 1176. tur. Anno clo c LXXVI. Præsul ipse Julino Caminum dis-
 cessit, ubi à Casimiro instituta Præpositura Cathedralis, se-
 ptem pagis dotata. Cathedralis quoque Ecclesiæ funda-
 1177. menta posita in honorem S. Johannis, quem, pro more
 seculi, Patronum allegit Episcopatus. A. clo c LXXVII.
Ivenach & Brode, in confiniis Neo-Brandenburgi, à Bogislao
 & Casimiro I. exstruuntur. Rugia à Rege Daniæ Walde-
 1185. maro & Duce Meklenburgico, ferro ad Christianam religio-
 nem adigitur. Moritur Conradus A. clo c LXXXV.
 §. V. *Pactiones certæ*, verba sunt Chytræi in Saxonia, cum
 Episcopo & Canonicis initæ erant (Sede scil. Episcopi Caminum
 translata) ne aperta Episcopa, vel vacante Prælatura quisquam
 præter Pomeraniæ Principis tanquam Patroni consensum substitu-
 eretur, liberâ tamen electione Episcopi Canonicorum colle-
 gio concessâ. Hinc defuncto Conrado SIGFRIDUS, antea
 1188. ædis Basilicæ Præpositus, à Clero eligitur. Germanum fu-
 isse ex nomine colligit Cramerus. Hic A. clo c LXXXVIII
 confirmationem translatae Caminum Episcopalis sedis à
 Clemente III. Papa impetravit. Quod ipsum tamen Mi-
 crælius l. II. p. 257. ad annum LXXXIII. refert, quamvis
 p. 638. cum Cramero consentiat. A. clo c LXXXVII. *Æ-*
dem D. Jacobi Stetinensem à Beringero Aulico, ex Episcopatu
 Bambergensi oriundo, exstructam inauguravit. Bogislaus I.
 sceptro filiis tradito in monasterium *Grobe* se abdit. Hoc
 tempore *cænobium Virginum Berge* in Rugia, item anno clo
 1199. c Ic Eremitarum Monasterium Stargardiense fundatum.
 Sequenti autem anno Episcopus furorem Satanæ, complures
 incolas oppidi Pafevvalck ad *αυτοχαιρία* compellentis, pre-
 cibus

cibus compescuit, & biennio post anno scilicet clo cc II. a- 1202.
nimam DEO, corpus Camminensi templo reddidit.

§. VI. Siegfridum SIGERWINUS, vel ut alii malunt IV.

Siegvvinus, qui etiam *Sigmundus* nonnullis audit, sequitur: mu-
neris demandati & *εὐλαξίας* Ecclesiasticae observantissimus.

Quamobrem & ipse populum pro concione erudivisse di-
citur: quod officii iam tum ab aliis, quasi Episcopali fastigio
indignum, negligi consueverat. Ad hunc refertur constitu-

tio, qua impudicae mulieres, die sacro parasceves, ad S. Syna-
xin admittæ, ceteris ipso Paschatos festo accedentibus: id
quod Wilhelmi demum temporibus exspiravit. Anno

clo cc VII. *Eldenovv* cœnobium à Bogislao II, Casimiro II. 1207.

& Socero hujus Jaromaro Rugiano exstructum. *Belbuck*
vero, ob motus bellicos à Monachis desertum, instaurabatur.

Vita excessit Siegvvinus A. clo cc XVII, quo Casimirus II. 1217.
in Palæstina finem vivendi fecit.

§. VII. Postquam fatis concesserat Siegvvinus CON-
RADO II. cui patria Demminum, pedum Episcopale tra-
ditur. De cujus vita & fatis parum constat. A. clo cc XXIII. 1223.

Anastasia Bogislai I. vidua, consentientibus nepotibus War-
tislao III. & Barnimo I. *Neo-Treptoviensi Virginum Monasterio*,

(hodie *der Rûchenhof* vocatur) condito, & in alimenta vir-
ginum aliquot prædiis eidem dicatis, quod reliquum vitæ

in eo commorata, ac demum sepulta est. Hac tempesta-
te Svantipolcus III. Gedani Monasterium nigrum (*das*

schwarze Mûnchs-Kloster) in honorem Nicolai, anno 1227.

clo cc XXVII, & aliquanto post *Bucovv* non procul à
Rugenvvaldia fundavit, eoque ex Monasterio Stolpa colo-

niam deduxit, quæ tamen à vicinis ejecta. Sed mox à Svan-
tipolco restituta, supplicio affectis facinoris autoribus. Tan-

dem hic Conradus ingravescente ætate, cum commode am-
plius muneri præesse non posset, Conradum Comitem à

Gûzkovv Coadjutorem adscivit & A. clo cc XXXIII diem 1233.

suum obiit.

§. VIII.

VI.

§. VIII. Ab hoc igitur tempore **CONRADUS III.** tiaram gestavit, illustri Comitum à *Gūzkovv* genere pro-
gnatus. Qua laude, nondum accepimus. Huic decimarum
loco Stargardiam fuisse concessam, non est cur multis repe-
tamus, nisi forte hoc addendum, quod exinde Stargardiensis
molæ habeatur conditor. Cum Episcopatus ejus initio Gry-
phisvaldia sua sumsit initia, quam Abbas Monasterii Elde-
novv condidit, sed cum potentia mox superaret filia paren-
tem, Barnimo I. dono eam dedit. Stetini novum monaste-
rium (*das graue Münchs Kloster*) instituitur. Tandem
senecta urgente, porrecta Wilhelmo Theologiae Doctore,
quam per decennium gesserat, infulâ quieti sese dedit, &
quinto post anno naturæ solvit debitum, eoque tempore, quo
Wartislaus III. Cœnobium *Marienfließ* / Abbatissamq;
primam constituit Barbaram filiam.

1243.

VII.

§. IX. Ad **WILHELMUM** igitur accedimus, qui
tamen vix anno post fata Conradi Episcopatus præfuit.
Hoc autore Stargardiæ loco, Colberga & Cörlinum, vel, si
mavis Cöslinum Episcopali territorio adjecta. Anno dō cc
XLIV. Monasterium *Virginum*, quod ante *Stetinum*, à Barni-
mo I. exstruitur, & sepelitur in eo Marcenno Autoris con-
jux. Idem Barnimus Stolpam molâ, die *Rehmüle* dicta,
donavit, & Episcopatum Camminensem compluribus or-
navit privilegiis. Sed & hic nuncium sponte sua remisit
Præsulatui & Hermannno pedum tradidit.

1244.

VIII.

§. X. Sic igitur **HERMANNUS** Comes à *Gleichen*
A. dō cc XLIX. vivo V Vilhelmo ex Canonico ad Episco-
pale fastigium est evedtus. Rei bellicæ, quam Ecclesiasti-
cæ studiosior, & de proferendis diœcesios finibus imprimis
folicitus. Anno LXIII. memorati seculi, data Ottoni in
feudum Neogardia, reliquos hujus fratres, sibi ex sorore ne-
potes, V Vislaum, Mauritium & Bernhardum Comites ab E-
berstein (quorum Pater jussu Alberti Ducis Brunsvicensis
pedi-

1263.

1263.

III.

juudo pedi-

pedibus suspensus) Canonicos constituit. Exorto inter VVar-
tislauum III. & Svantipolcum III. bello, Episcopus à Wartislai
partibus stetit, & Svantipolci ditionem ad Stolpam usque
depopulatus, magnam abstulit prædam, quam tamen in fu-
gam coniectus, non sine dedecore Svantipolco relinquere co-
actus est. Huic à Barnimo I. & Bogislao IV. confirmata
legitur Colbergæ, & præterea quorundam pagorum posses-
sio. Nova cœnobia hæc ætas vidit complura. Stralesundæ
Nigrum & Cineritium (das schwarze und graue) à Ru-
giæ Principe Jaromaro condita. Monasteria Virginum **Sar-**
venis/ Sufow : item *Cöslinense*, concionibus aulicis postea
sacrum, *Hospitale & Parthenotropium* Colbergense, **Mariens-**
Paradies & Dersow. Cœnobium Virginum Stetinense à
Barnimo I. conditore pago **Grabenso** ditatum. Monasteri-
um vero Neo-Dubroviense Polpelinum transtulit Mestovvi-
nus Svantipolci III. filius. Hujus quoque Præfulis ætati na-
tales debet *ædes Mariæ Stetinensis* à Barnimo I. ejusque Con-
juge Mechtilde exstructa, quæ postea, præfectis eidem XII.
Canonicis, collegiata dicta, & jure Patronatus in ædem Pe-
tri, Ecclesiam item Garzensem & nonnullorum vicorum or-
nata. Tandem cum Hermannus, politicis sese nimium im-
misceret negotiis, & Alberto Marchioni, Pomeraniæ bellum
inferenti magis, quam Bogislao IV. faveret, ut majorum mo-
tum occasio præcideretur, instinctu Principis *Jaromarus* à
Collegio Sacro Coadjutor A. clō cc LXXX. eligitur. De-

cessit Hermannus A. clō cc LXXXVII, & Camini sepultus.
§. XI. Defuncto Hermanno solus Episcopi nomine
gaudet JAROMARUS III. Princeps Rugianus, Jaromari
II. filius, cui Pater Wizlaus I. Razii (à quo incipit Genea-
logia horum Principum) ex filio Jaromaro I. nepos. Hic
nunquam consecratus, Ecclesiasticis omnibus in Suffraga-
neum Petrum Theol. D. ex Monasterio Stralesundensi Ni-
gro, rejectis, non nisi politica curavit. Eidem Marchio Wal-

dema-

- demarus Schievelbein & Zaldenburg it. Rosow & Batis
 vendidit, quæ tamen oppida à Successore Waldemari re-
 demta. Hoc Antistite Monasterium Virginum Wollinense,
 ex quo postmodum Crumminense natum, exstruitur à Bo-
 1288. gislao IV. Barnim II. & Ottone I. A. cō cc LXXXVIII.
 1299. Diem obiit Jaromarus A. cō cc XCIX, postquam superi-
 ori anno Petrus Suffraganeus decesserat.
- §. XII. Frustra itaque versus supra allati Petrum de-
 cimum ferunt Antistitem, qui nequidem superstes fuit Epi-
 scopo suo. Caussam erroris ex modo dictis patere puto.
- X. §. XIII. HEINRICUS potius Wachhold/natione, quod
 nomen docet, Saxo, decimus est, qui Camminensi Præsulatui
 præfuit, rebus gestis Hermanno non dissimilis. Hunc quippe
 imitatus Marchioni Brandenburgensi adversus Ottonem I.
 subsidia misit. Rediit tamen cum Principe in gratiam, &
 1304. Belgardiæ A. cō ccc IV. promisit, majori sese impofterum
 devotione culturum Principes, tanquam Episcopatus Auto-
 res & Patronos. Hujus ætate Wartislai IV. aula Anclamensis
 Augustiniani ordinis Monachis, quos Canonicos Regulares
 vocant, data. Incidit in hæc tempora *ordinis templarii* fatale
 excidium à Clemente V. P. R. imperatum. Quorum bona cum
 vindicare sibi nollent Principes, ordini Johannitico sunt di-
 cata, à quibus Commendator Rorici primum, post Wilden-
 1317. bruchii constitutus. Obiit Henricus A. cō ccc XVII.
 XI. §. XIV. Successit huic eodem anno CONRADUS IV.
 coævus Wartislao IV. Principi ut docto, sic doctorum fau-
 tori eximio, à quo Basilica Camminensis fossa & muro cin-
 eta. Idem Princeps cum fratre Ottone I. Frisow/ Radeu-
 fe/ Scharchow/ Schlenin Episcopatui donavit. Episcopus
 1321. vero Abbati Colbacensi anno cō ccc XXI. Werben &
 Madduse CCC. Marcis vendidit, quem contractum à Pa-
 pa confirmatum, cum revocaret Johannes Episcopus, Papa
 Bonifacius A. cō ccc LXII. sic litem composuit, ut Abbas,
 nume-

numeratis supra priores ducentis Marcis, retineret loca. Eodem anno supra laudati Principes pacta Belgardensia cum Episcopo renovârunt, patrocinium & tutelam suo & hæredum nomine ipsi polliciti. Unde cum Archiepiscopus Gnesnensis (quod supra tactum) suæ diœcesis Camminensem auderet adscribere, mascule ei restitit Conradus, caussaque Romam ad Johannem XXII. delata, id obtinuit, ut immunitas confirmaretur Camminensi Præsuli; Non tamen diu præfuit Episcopatus, sed anno subsequenti XXII. vivendi finem fecit.

1322.

XII.

§ XV. Sequitur hunc WILHELMUS D. aliis *Arnoldus*, etiam versuum huic catalogo præmissorum auctori, dictus, Monachus ordinis prædicatorum: quo de præter nomen & sexennii regimen nihil afferunt Historici.

§. XVI. Successor contra ejus FRIDERICUS nobilis ab *Giesstäden* / qui anno clō ccc XXIX. sedem Episcopalem conscendit, pietate tam erga DEUM, quam Principem Barnimum III. cognomine Magnum, tanto est illustrior, quippe quem consiliis copiisque adjuvit. Defecerat hisce temporibus vetusta stirps Marchionum Brandenburgensium, & Ludovicus V. Bavarus filio cognomini Marchiam donârat. Cujus cum partes Ukermarchiam scilicet ac Neomarchiam occupassent Duces Pomerani, non eas solum, sed ipsam quoque Pomeraniam, cujus beneficiariam inaugurationem non petiisse Principes, adeoque suo jure excidisse, causabatur, à Patre petit & impetrat. Hinc bellum inter Pomeraniam & Marchiam, in quo nullibi Barnimum deseruit Episcopus, & duobus interfuit præliis, utriusque victoriæ consors. Tandem rogatu Electoris Caduceatoris munus obiit, pacemque inter hæc domos ea conditione conciliavit, ut Electores spe hæreditatis, stirpe Pomeranica deficiente, adipiscendæ contenti, omni reliquo Pomeraniæ jure se abdicarent. Quam pacem postea ipse Imperator in Comitibus Francofurti ad Mœnum anno clō ccc XXXVIII. habitis,

XIII.

1329.

C. 2

ratam

ratam habuit. Cujus cum primarius fuerit autor Episcopus noster, quanta ejus autoritas, facile est colligere. Munere vero Ecclesiastico, qua industria, tantis distentus negotiis, sit functus, quamvis taceant Scriptores, Oedipo divinatore vix habuerit opus. Sed inveteratus seculi mos sic ferebat, ut politica magis, quam sacra curarent clerici. Laudem tamen meretur, quod non in bello magis, quam pace promovenda strenuum se gesserit. Quo ipso tantum sibi Ducum conciliavit amorem, ut non sine summo eorum errore A. dō ccc XLIII. hanc vitam relinqueret.

1343.
XIV.

§. XVII. Defuncti locum eodem anno supplet JOHANNES, *Erici filius Dux Saxonie inferioris*, Bogislai V. Wartislai V. & Barnimi IV. D. P. Wartislai IV. filiorum, ex Elisabetha sorore nepos, quorum suffragio hunc honorem creditur consecutus, nondum ex ephebis egressus. Hoc Præsule maxime floruit Episcopatus, quem ornarunt complures Magnates Canonici, quos inter Ludovicus Dux Brunsvico - Luneburgensis, cujus sororem in matrimonio habebat Barnimus Magnus, item Wizlaus ab Eberstein Comes, & plures alii. Quo studio sacra curaverit, non adeo liquet, nisi ex eo velis judicare, quod Monasterium Marienbrou à Bogislao V. & ejus fratre in memoriam matris A. dō ccc LVI. conditum, ipse inaugurasse legatur: ex quo sane colligit Cramerus, quamvis Principali dignitate illustrem, non subterfugisse sacra, nec usum Suffraganeo. Petri, quē vocant, nummum petenti Poloniae Regi Casimiro negans, denuo immunitatis, quam *exemptionem* dicunt, confirmationem Romae impetravit. Nec detrectavit Rex foedus cum ipso inire A. dō ccc XLIX. Interfuit itidem nuptiis Caroli IV. Imp. A. dō ccc LXIII. cum Elisabetha Bogislai V. filia, quae Sigismundum Imp. genuit, Cracoviae celebratis. Hac tempestate numerum monasteriorum auxit Barnimus Magnus, exstructa A. dō ccc LX. ad Viadrum Carthusia **Gotes**

1360.

tes Enad/hodie die Odersburg dicta, cum anno clō ccc XLVI Basilicam Ottonis, in honorem Pomeranorum Apostoli Stetini adornatam largissime dotasset. Exspirat Episcopus A. clō ccc LXXIII. ætatis XLIV Episcopatus XXX. & in Basilica Camminensi terræ mandatur.

1373

§. XVIII. Posthæc PHILIPPUS præsulatu potitur *Lumbacius* à *Rechenberg* / vel ut alii malunt, *Rehberg* / qui licet ad A. clō ccc LXXXVI, qui ipsi emortualis pedum tenuerit, nihil tamen memorabile gestum ab eo reperimus, nisi quod emtis ab Henningo *Krand* & *Spare* pagis *Biztzer* / *Krazede* / *Niemüle* / *Masau* & *Steterow* uitionem episcopalem ampliari.

XV.

1386.

§. XIX. Subjungunt huic in frontispicio capitis allati rhythmī *Johannem* & *Hanekovium*: neuter tamen dignitatem adeptus est. *Johannes* quidem *Wilhelmus* aliis *Willichius* vel *Wilden* electus fertur, sed in Golnoviensibus campis (*der Golnowschen Heide*) ante consecrationem occisus. *Johannes* vero *Hanecovius* Bohemus à *Wenceslao* Caroli IV. filio nominatus, nequidem receptus est: quod libera Collegii electio & Jura Patronatus Principalia labefactari viderentur. Unde merito hic subjecit *Micrælius*:

XIV

Nec Dux octavus omittatur BOGISLAUS

Hic enim A. clō ccc. LXXVI à Clero postulatus, sex annis summa fide munus suum obiit, arcesque complures & oppida oppignorata, ut *Masau* / *Polnou* / *Arns* / *Hausen* / *Gulzow* / *Bublig* / ære suo redemit: quæ tamen res magnæ litri januam aperuit: ceu ex sequentibus patebit. *Wartislaus* VII. *Bogislai* frater hoc ævo in Palæstina obierat: hinc *Bogislaus* Reip. factes suscepturus A. clō ccc XCII. hac dignitate se abdicavit. Meminit hujus rei *Joh. Isacius Pontanus* *Rerum Danicarum* L. XX: Post id, inquit, *Bogislaus* VIII postulatus *Camminensium* Episcopus, ducta in Conjugem *Procopii* *Marchionis* *Moravice* filia præsulatu excidit. Hoc teste

XVI.

1376.

1392.

C. 3

tan-

tantò utimur libentius, quanto minus in cuiuspiam scrip-
se videtur gratiam. Fallitur tamen dum conjugium amissi
præfulatus causam indigitat. Verior ex superioribus claret.

§. XX. Bogislao VIII. *Johannem ab Apulia* (quem
Ducem Opelöensem nuncupat Pontanus) adductus au-
toritate Matriculæ Camminensis, cum versificatore no-
stro subjicit ipse *Micrælius*, quem tamen neque remotum
legi, neque mortuum dicit. Sed facile hunc nobis scrupu-
lum eximet Pontanus, verbis superiora secutis: *Johannes Dux*
Opelöensis, quem obtrudere dicecesi Papa studuit rejectus est à Ca-
pitulo, electusque Nicolaus Buddeus Canonicus Camminensis. Si
rejectus, quid opus in electorum referre censum?

XVII

§. XXI. NICOLAUM igitur, non *Buddeum* ut scri-
bit Pontanus, sed à *Buck* merito cum *Cramero*, decimum
septimum salutamus Episcopum. Hic eodem anno, quo
abiit Bogislaus Episcopatum ingressus, per triennium re-
giminis pro Divini verbi, litium semina sparsit. Etenim
Bogislaum Antecessorem, redempta quadraginta millibus
florenorum prædia Episcopalia restituere, nisi numerato
ante argento, recusantem anathematis fulmine ferit. Qui
cum ad Pontificem Romanum appellaret, & *Johanni ab*
Obitz res committeretur, *Nicolaus* amicam compositionem
respuit. Hinc ferro anathematis vinculum solvere conatus
Bogislaus, episcopale territorium invadit hostili manu,
quo commotus episcopatus nuncium remittens, ordini Prus-
sico nomen dedit. A. clc ccc XCV.

1395
XVIII

§. XXII. Successit in locum *Nicolai* à Clero electus
MAGNUS Dux Saxoniae inferioris, cujus genealogiam
videlis in *Kranzii Saxoniam* L. VIII. c. XIX. & XX. Suc-
cessit etiam in litem. Nam cum is, cui causæ decisio erat
commissa, *Johannes ab Obitz*, in gratiam Episcopi gratis
restitui vellet prædia, ad concilium futurum provocavit
Bogislaus. Hinc cum post obitum ejus, concilium habere-
tur

tur Constantiense anno cl^o cccc XIV. Magnus quoque in 1414.
eo comparuit & Hussi necem, quantum in se fuerat pro-
movens, id etiam egit, ut vidua Bogislai, cum filio Patri
cognomini, à Pontifice Romano excommunicaretur. Sed
& hi vanas Episcopi iras & iniquam Papæ sententiam juxta
habuerunt, causæ justæ confidentes. Audiamus hac de re Pon-
tanum l. c. ad annum cl^o cccc XVII. Decefferat, scribit, Imperator 1317.

*Sigismundus Constantia, relicto, quod illic agebatur, concilio, duorum
Bohemie Martyrum Joh. Hussi & Hieronymi Pragensis supplicis
non tam celebri, quam infami. Ubi & ipso hoc anno cl^o cccc XVII.
interdictum Pontificis incurrit Dux Pomeraniae Bogislaus ejusque
conjugæ Sophia, instigatu maxime Camminensis Episcopi Magni no-
mine. Nam & Hussi doctrina etiam ad Boreæ has oras per id
tempus delata, ita Stralesundenses ceperat, ut eam publice profite-
rentur; dum tandem apud Synodum effecerint adversarii, ut ea in
totum sublata etiam ex præconibus Johannes Buchholzius haur me-
liore, quam ipse Hussus Constantiæ fato usus, ubi apud suos Stra-
lesundæ in dedecus ejusdem Synedrii publice exustus fuerit. Egre-
gia pleraque: dummodo per Bogislaum non VIII. sed hu-
jus filium, Bogisl. IX. intellexisset, adeoque Sophiam ma-
trem ejus dixisset. Veram causam quoque interdicti ipsum
latuisse apparet, quod eandem Hussiticæ doctrinæ videatur
tribuere. Tandem Episcopus ad Hildesensem cathedram
evocatus A. cl^o cccc XXV. discessit, cujus rei meminit
Kranzius Saxon. l. X. c. XI.*

§. XXIII. Excipit Magnum SIEGEFRIDUS Bock
Stolpæ natus & educatus. De hoc Kranzius l. c. Jam Rex
Daniæ Ericus apud Magnum perfecit, ut Ecclesia sua Camminen-
sis successorem haberet, quem ille voluisset, Regis Cancellarium: Ex
Cancellario itaque Episcopus traditam sibi ab antecessori-
bus controversiam acrius persecutus, non solum ut anathe-
ma Papale renovaretur, verum etiam ab Imperatore Sigis-
mundo proseriberetur Bogislaus IX. in Concilio Basileæ

con-

1425.
XIX.

congregato, procuravit. Hinc ad Ericum, Daniæ, Sveciæ & Norvvegiæ Regem, causa defertur. Qui eandem sic composuit, ut quædam prædia Episcopo restitueret Bogislaus IX, quædam vero in compensationem impensarum retineret. Et sic demum pax inter Principem & Episcopum revirescit, simulque renovantur pacta, de non eligendo sine consensu Principis Præsule, reservata Principi electum recipiendi rejiciendive potestate. Hæc tempestas Puzkellerianæ colluviei creditur ferax, quorum blasphemias malim alto silentio sopitas, quam in memoriam revocatas. Si cui tamen eorum historiam cognoscere est volupe Cramerum consulat Hist. Eccles. l. II. c. 29. Quanquam non ignorem esse, qui Hussitas fuisse velint, falso per vulgum traductos. Abiit de Scena Siegfridus A. clō cccc XLVI.

XX. §, XXIV. HENNINGUS Iven post Siegfridum se nobis offert Præsul vigesimus, cui à Clero electo suffraganeus est Albertus Sidowen Chorepiscopus. Fuit & hic Patria Stolpensis, & Scholæ istius loci jamtum florenti institutionem suam debuit. Vir officii sui non negligens, quippe qui de Clericis conquestus, *quod superfluis comestationibus & illicitis confabulationibus insudantes fere medietatem noctis impenderent & divino officio nocturno vix vel raro comparentes, syccopando horas canonicas transcurrerent, quasi nullam ad DEUM haberent intentionem.* Hoc ipso decimum annum episcopalem sedem ornante, anno scilicet clō cccc LVI. à Wartislao IV. autore Henrico Rubenovio D. & Gryphisvv. consule, Cancellario antehac Regis Erici jacta Academiæ Gryphisvvaldensis fundamenta. Confirmata eadem à Friderico III. Imperatore & Calixto III. Papa, constituto Cancellariō Episcopo nostro. Adeoque ejusdem anni die XVII. Octobris, præsentibus Fundatore, Alberto Chorepiscopo & Senatu Gryphisvvaldensi, ab Episcopo est consecrata, traditis primis ejus sceptris supra laudato D. H. Rubenovio. De diffidio

dio, quod inter Stetinenses & Stargårdienses componere frustra est conatus, videatur Paulus Fridebornius Chron. Stet. l. i. p. 96. Conjuncta fuit in hoc Viro cum doctrina insigni, rara pietas & modestia. Audiens quempiam de proximo sinistre loqui dicere est solitus:

Aut sumus aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est.

Occidit hoc Episcopatus ornamentum A. cl̄ cccc LXXII. 1472.
præfulatus XXVI.

§. XXV. LUDOVICUM ab Eberstein comitem, quem XXII.
omittunt versiculi, per septennium egisse Præsulem, trans- 1479.
missis Sacris Chorepiscopo Alberto Sidowen / & A. cl̄
cccc LXXIX Episcopatu se abdicasse memorant Scripto-
res. De rebus ab eo gestis altum silentium.

§. XXVI. Eodem igitur anno vacuam sedem occupat XXII.
MARTINUS s. Marinus de Fregeno (de Stegeno nominat
Chytræus Saxon. L. I. p. 10.) Italus, à Papa Sixto IV com-
mendatus, (seu ut Chytræus loqui amat, *obitusus*) & electus
à Capitulo, confirmatus item à Bogislao: postquam anno 1480.
cl̄ cccc XXC debitam Principibus devotionem & fidem
promiserat. Hunc ut avaritia Papalis (indulgentias enim
quasi quidam Tezelii præcursor venum expositurus vene-
rat) ex Italia in Germaniam propulerat, sic *Episcopatum Cam-*
minensem (verba sunt Bugenhagii) *adeptus, aurum tantum, non*
salutem animarum sitivit. Tandem concitato in sese Clerico-
rum Camminensium & Colbergensium odio, Gryphisval-
diæ lapidibus petitus, Romam unde venerat aufugit. Quo
de sic Bugenhagius: Anno cl̄ cccc LXXXI. die Gregorii à qui- 1481.
busdam civibus Gryphiswaldensibus Episcopus ille intrusus lapidi-
bus adobrutus, ab Episcopatu ad Cardinalatum adspirans, tandem
Romæ contra Camminensem Diocesim actionem institutam & lites
persequens, efflata avara præmœvore anima, schismati diocesios Cam-
minensis finem fecit. Accidit id anno cl̄ cccc LXXXVIII. 1488.
Episcopatum interjecto tempore Nicolaus Westphalus
Decanus Camminensis administravit.

§. XXVII.

§. XXVII. Tradiderat, contra pactā cum Principe in-
XXIII ita, perfidus Marinus Episcopatum alteri conferendi po-
testatem Papæ, hic vero Cardinali cuidam Romano, qui e-
undem vendidit D. BENEDICTO Baroni Bohemo & Mo-
ravo à Wallenstein. Adeoque hic præsul XXIII A. cl̄ cccc
1492. XCII Synodum Stargardiam convocavit, maxime contra
Clericorum concubinas, earundemque in vestitu luxuriam.
Bogislao vero X., cujus interea Vicarius fuerat Episcopus,
ex itinere in Palæstinam suscepto reduce, Martino Carith,
quo in itinere Dux usus erat Cancellario, Episcopatum ac-
cepta certa pecuniæ summa concessit. Pœnituisse tamen eum
facti ferunt, & Romam idpropter iter ingressum OEnipon-
te vita excessisse.

§. XXVIII. Sic itaque, quam vivo Benedicto A. cl̄
XXIV cccc XCIIIX. conscenderat, eo demortuo quietus possedit
1449. Cathedram episcopalem MARTINUS Carith, Magister
& Decretorum D. Patricius Colbergensis (ut recte Coth-
berg in Colberg mutarit in versiculis Micrælius) insigni &
eruditione & virtute. Solo amicorum suorum ab *Abouu*
(alphabethum adeoque libros indigitasse vult Micrælius)
præsidio fretus, eruditissimos quoque, ingenio imprimis ni-
mium confidentes, quandoque peccare suo exemplo docuit.
Peccavit enim satis enormiter, quando Nobilem quendam
à Lode indicta causa supplicio affici iussit, & necem ulci-
scentis fratris territorium una cum Bublizio occupavit. Ne-
que quando in electionem Wolfgangi, Comitis Neogar-
dia, Principe inconsulto, consensit satis prudenter egit.
Ceterum non latere potuerunt virum hunc prudentissimum
iniqui Clericorum mores. Hinc Synodo convocata Statu-
ta quædam, imprimis adversus concubinas alentes, promul-
gavit, de quibus mox plura subjiciemus. Hoc Præsule A.
1509. cl̄ l̄ IX. Monachi *albi* novum Stetini Monasterium, Scho-
læ hodie Senatoriæ dicatum adornarunt. Proximo anno

Cörlinense templum, Autore Nicolao Rindholz Consule & 1510.
Antistite conditur. Nec non *Policiense* A. cl. l. XV ab E-
piscopo consecratur. Idem anno XIII. Georgium Ducem, 1515.
Ameliae Philippi Electoris Palatini filiae Stetini per bene-
dictionem sacerdotalem junxit, & postquam auroram Lu-
theranam anno superioris seculi XVII. & subsequentibus vi-
derat, XX. mundo valedixit. 1520.

C A P. III.

recensens

EPISCOPORUM HISTORIAM,

à restituta Evangelii luce, usque ad obitum
Bogislai XIV. anno cl. l. c. XXXVII.

§. I.

Tenebrae Papales uti totum obscurarant orbem Christia-
num, sic Pomeranicum quoque, vix scintillam veræ re-
ligionis reliquã. Qui ceteros ad pietatem excitare debebant
Clerici, ipsi impietatis luto ad verticem usque immerfi hæ-
rebant. Non meis, sed Martini Episcopi verbis, ex Statutis
Synodalibus, quorum modò facta mentio, depromtis, adeo-
que suis eos coloribus depingam. *Multi presbyteri, que-
ritur ille, nostræ diœcesis solum & auntaxat nomine presbyterio gau-
dentes, cum opera longe absint ab eis, tam contra Divinas Leges,
quam Canonicas Sanctiones, decreta Concilii Basileensis ac Præde-
cessorum nostrorum Synodalia statuta, omni DEI timore, honestate
& verecundia postpositis, mulieres de incontinentia suspectas palam
& publice in domibus suis tenent & habent non quasi famulas,
sed tanquam uxores legitimas venerantur, in mensa una & eadem
comedunt & bibunt, vestimentis pretiosis & Clenodiis ultra modum
ad instar nobilium honestarum dominarum exornant, & ut semen
eorum in nationibus pravis & adulterinis crescat, omnem substan-
tiam eorum de matrimonio Christi acquisitam, in dotem filiorum &*

D 2

filia-

1017
217
149
1027
filiorum & filiarum ex tã̃m damnabili coitu procreatorum exponunt
& quod deterius est, exquisitis ingenis in suis beneficiis faciunt
successores, non attendentes legem Justinianeam, quæ prohibet pres-
byteros agnoscere filios naturales. Volentes demum de iniquitatibus
suis gloriari de oppido ad oppidum pariter in curribus ad solennita-
tes nuptiarum & convivia Laicorum vadunt, eminentiorem locum
cum sua Dalila usurpando.

§. II. En! quam graphice suorum mores depingere
sciverit Episcopus, utinam sic corrigere! At dum medelam
parat, graviori vulneri locum facit. Eadem quippe Syno-
do religiosam crucis venerationem probavit: ac porro hæc
statuta tot dierum indulgentias genu flexioni tribuunt, ut
quis unica hebdomade, peccatorum per totum annum per-
petrandorum remissionem impetrare potuerit. Quod cum
Clerici quotidie observare necesse habuerint, quidni quidvis
eis impune perpetrare, & vel centum Dalilas fovere licuis-
set! Prodiit item, anno ineuntis seculi XVI., quinto *Brevia-
rium, in gratiam Episcopatus Camminensis*, Sanctorum invoca-
tionem maxime commendans. Festa in honorem Ottonis
Bambergensis instituta, primaria anni festa numero æqua-
bant. Nec ab ejus invocatione abstinuisse plures docent for-
mulæ superstitiosæ ac impiæ, à Cramero L III. c. I. allatæ.
Usque adeo plusquam Cimmerica superstitionis caligo om-
nium animos dementarat. Nihilo tamen minus quæ
postrema fere fuerat in gentili, prima prope fuit in pa-
pali rejicienda superstitione. Initium unde sumserat re-
ligio Christiana per Ottonem, inde Lux quoque coorta
Evangelii: Johanne Kniepstrovio Monacho, Francofurto,
ne ansam haberet dogmata Lutherana altius scrutandi, Piri-
tium misso, non monasterium solum, sed ipsum quoque
oppidum convertente.

§. III. Eodem tempore Treptoviæ suos habuit vin-
dices Divina veritas. Transmissus erat Sacrificio istius loci,
Slu-

Slutovio, Lutheri *de Captivitate Babylonica* liber, qui eundem Johanni Bugenhagio tum temporis Scholæ Rectori, convictori suo legendum tradit, ipsius iudicium expetens. Legit iste librum nec tam legit, quam legendo percurrit, & confestim dignum Vulcano pabulum iudicat. Simulac vero attentius relegit: *Quid, inquit dicam? solus hic videt, quod præter eum nemo*: adeoque non tantum assensum ei præbet, verum Christianum quoq; Kettelhut, Johannem Lotichium, Joh. Kyrichium, imo ipsum Abbatem Monasterii Belbuc in suas partes facile pertrahit. Hinc Christianus Kettelhut Stolpam ablegatur, ut Præpositi ibi Spartam ornaret, qui Petrum primo Svavenium Nobilem convertit, à quo mox Scholarchæ.

§. IV. Habuit hæc ætas Episcopatus Camminensis Viros plurimos eruditione Præstantissimos, Petrum Werne- rum, Johannem à Kitzscher Præpositum Colbergensem Poë- tam & Oratorem eximium, Valentinum à Stoyentin D. item ERASMUM à Monteuffel J. U. L. Dominum in Arnhaus- sen. Horum postremus A. clō 15 X. cum Georgio Bogislai filio Dresdam ablegatus cum redisset, A. clō 15 XXI. in de- functi Martini locum surrogatur, Episcopus ordine XXV. Superstitionis Pontificiæ acerrimus propugnator. Vix Bo- gislaus ex comitiis Wormatiensibus redux erat factus, cum tanto impetu decreti adversus Piritii, Treptoviæ & Stolpæ cives, Evangelio faventes, urgeret executionem, ut deesse ipsi non posset Princeps. Hinc fugiunt Treptovia Docto- res, fugit ipse Abbas, fugit Johannes Bugenhagen Witte- bergam, Johannes Kyrichius Stolpam. Christianus Kettelhut monachi vestitu cum seculari commutato, Joh. à Swerin, ser- vicia aliquandiu præstat donec à Stralesundensibus Pastor vo- catur. Et hi quidē Episcopi manus effugiunt omnes, solus Joh. Cureckein secundū annum captivus detentus, tandem tamen dimittitur. Hoc ipso tantum aberat ut effulgens lux Evangelii obscuraretur, ut potius tanto clarior ubique renideret, o-

XXV.

1521.

D 3

ma

1523.

mnibus hanc doctrinam cognoscere expetentibus, cuius gratia fuga sibi consulere tantum Viri. Hic ipse est Erasmus ille, qui cum Bogislao concioni interfuit B. Lutheri, Dominica Cantate A. clō lō XXIII. Wittebergæ habitæ, quâ subridente Duce, Episcoporum pingves ventres & pigros, & in his Erasmum quoque tetigit, fremente licet Episcopo. Quæ dum geruntur, Stetineses M. Paulo à Rhoda Quedlenburgensi Wittebergâ accersito, suggestum aperiunt. Episcopus vero à cæco zelo ne minimum quidem remittit, non repugnante Bogislao, favente etiam Georgio, sed invito Barnimo. Tandem Bogislaus, instigante, credo, Barnimō, concionem frequentat M. P. à Rhoda die Corporis Christi habitæ, quæ cum non displicuisset, monuisse dicitur Georgium filium, ut parceret Viro. Sed eodem anno Bogislaus ex hac vita migrat, unde ampliorem occasionem nactus Erasmus, tanto acrius doctrinam Evangelicam persequitur, ejectisque omnibus è monasterio Belbuc monachis, Stolpam adit. Hic Amandus quidam Prussus, igneo quasi fervore ignem paraverat in foro, ut ea pars quæ succumberet in disputatione, ad quam provocaverat, in eum conjiceretur. Inde cum Monachorum appareret nemo, cives in templum involant, & sculptilia quævis deturbant. Quo cognito Princeps Georgius cum Episcopo Stolpam se contulit, febris tamen post primum statim ingressum correptus à fervore adversus civitatem remisit, captoque solo Petro Svaenio (Amandum fuga abstulerat) discedit. Ex quo Jacobus Hogensee pari Eloquentia & modestia populum Stolpæ instruxit. Piritii tum idem fatum experitur Johannes Kniepstrovius ab Abbate Colbacensi, cuius tamen manibus elapsus Stetini apud M. P. à Rhoda commoratur, donec Stargardiam vocaretur. Sed non solum vi, verum blanditiis quoque Evangelium oppugnarunt. Anno quippe clō lō XXIV. clerus Camminensis publico programme revocavit abal-

1524.

lic-

alienatos, omnium delictorum venia promissa, quibus tamen pollicitationibus nemo allectus. Unde majores indies vera doctrina in Pomerania vires sumsit. Anno cl^o l^o XXXV. 1535.

Philippus & Barnimus, Duces, omnia monasteria opera Johannis Bugenhageni visiterunt, novaque sanxerunt Statuta Ecclesiastica, quæ ut reciperet Episcopus, impetrari ab eo difficulter potuit. Anno tamen proximo XXXVI Augustanæ Confessioni nomen dedit, amorem deinceps Evangelii Pastores examinando & ordinando comprobans. Cum ipse titulum Generalis totius Pomeraniæ Superintendentis recusaret, tres constituti sunt Ephori M. P. à Rhoda Stetini, Johannes Kniepstrovius Wolgasti, Johannes Hogensee Stolpæ, quibus postea accessit Georgius Venetus Superintendens Camminensis: Sed tum Superintendentis Stolpenis titulus exspiravit, superiori Sacrorum cura Superintendenti Stetinensi commissa. Mansit tamen Jacobo Hogensee/ordinandi potestas, qua etiamnum gaudet Præpositus Stolpenis. Cum hic adhuc viveret Præsul Pædagogium Stetinense A. cl^o l^o XLI. adornatum: Nam vitam reliquisse legitur A. cl^o l^o XLIII. d. XXVI. Jan. Conf. Chytr. Saxon. L. XXXI. p. 956. 1543.

§. V. Post Erasmi obitum parum abfuit, quin discordia fuerit nata inter Philippum & Barnimum, altero Ludovicum ab Eberstein Comitem, Jacobum à Zizzevitzem altero expetente. Johannes demum Bugenhagius Pastor & Professor Wittenbergensis, Episcopus fuit electus & vocatus. Cui cum cathedra Wittenbergensis Episcopali gratior, modeste honorem recusavit. Adeoque BARTHOLOMÆUS XXVI. Svavenus, Barnimi IX. Cancellarius anno cl^o l^o XLIV. 1544. Episcopus eligitur, & non à Papa, sed tribus Superintendentibus, præsentibus septem Pastoribus confirmatur & ordinatur. Hunc parentibus egenis prognatum vel exinde colligere licet, quod in Collegio Jagereuffeliano, anno cl^o ccc Xcl. à Consule Ottone Jagereuffel/in gratiam egeno-

1547.

egenorum Stetini instituto, fuerit educatus, teste Micrælio l. VI. p. 564, quo ex Schola Stolpensi eum pervenisse probabile est: Nam & in hac eundem bonis literis tinctum fuisse idem memorat Micrælius l. c. p. 589. Mitis ingenii Virum fuisse vel id testatur, quod pro Martino Weihero, qui Romam, ut à Papa confirmationem Bartholomæo impetraret missus, sibi successionem confirmari curaverat, intercesserit, quo minus à Principibus fuerit repudiatus, cum ipse episcopalem insulam deponeret. Accidisse id post victoriam Caroli V. procul dubio eam, qua Johannes Fridericus Elector A. cl. Is XLVII. captus, & Bartholomæum postmodum præfectum Butoviensem, anno cl. Is LVI. obiisse commemorat Chytræus citato loco.

1556.

§. VI. MARTINUS Weiherus seu VVeigerus hereditarius in Leba Philippo Melanchthone Præceptore fuit usus VVittenbergæ, & primum Cantoris munere Cammini functus, impetrata confirmatione Papali, intercedente, ut diximus, Svavenio, à Ducibus Pomeraniæ, Pontificiam hanc confirmationem merito improbantibus, est receptus, postquam in gratiam Papæ nihil unquam se acturum promiserat. Exiit è vita A. cl. Is LVI. VIII. Junii & Cörlini sepultus, ubi hodiernum in templo sequens legitur epitaphium,

*Hoc Tumulo placidè MARTINI membra quiescunt
VVEIGERI, de quo pauca Viator habe.*

Stemmata si clarum faciunt & nomen avitum,

Hic Summos inter nomen habere potest.

Salvisici magno verbi flagrabat amore,

Volvebatque Sacros nocte dieque libros.

Et quod præcipuum dicas in præfule munus,

Inspector Christi fidus ovilis erat.

Multa piis verbi præbebat dona ministris,

Et qui Musarum sacra theatra colunt.

Non

*Non hoc justitiæ, non pacis amantior alter,
 Non ad Congressus promptior alter erat.
 Eloquio multum patrio in sermone valebat,
 Et poterat prompte verba Latina loqui.
 Imprimis casti mores & vita fuerunt,
 Cavuit ne potu languida membra forent.
 Cætera prætereo, quæ si numerare studendum,
 Non foret hoc saxum parvaque charta capax.
 Sed postquam nobis septenos præfuit annos,
 Ultima tam clarum fata tulere Virum.
 Nec dubium est nobis supera quin luce fruatur,
 Aeterni faciem cernat & ipse patris,
 Unice mortalis generis pie Christe Redemptor,
 Qui $\lambda\omicron\gamma$ & Aeterni diceris esse patris
 Nostra Tibi semper sit summæ Ecclesiæ Cura
 Tu Sacro Flatu pectora nostra regas.*

§. VII. In Weiheri locum electus est **JOHANNES XXVIII**
FRIDERICUS Philippi I. filius Dux Pomeraniæ A. cl^o Is
 LVI, ætatis XV. Natus quippe A. cl^o Is XLI, d. XXVI.
 Augusti. Hinc A. cl^o Is LVIII. cum Fratibus Bogislao 1558.
 XIII. & Ernesto Ludovico Gryphisvaldensem Academi-
 am adiit, inque ea Rectoris Munere magna cum laude est
 functus. A. cl^o Is LXV Viennam ad Imper. Maximilianum 1565.
 II se contulit, quem per biennium secutus, A. cl^o Is LXVI. 1566.
 expeditioni adversus Turcas in Hungaria interfuit, præci-
 puum imperiale vexillum (die *Kaiserliche Hof- und Bluts*
Fahne) præferens, A. cl^o Is LXIX gubernacula episcopa- 1569.
 lia suscepit, & ad annum usque LXXIV laudabiliter gessit.
 Non tamen ante susceptum iter plane nullam Episcopa-
 tus habuisse curam credendus est. Anno quippe cl^o Is LXI
 jussu Barnimi X. & Philippi filiorum, imprimis Joh. Fri-
 derici Episcopi, *Corpus Doctrinæ Pomeranicum*, continens Bi-
 blicia S. Symbola Apostolicum, Nicenum, Athanasii, Augu-
 stanam

E

stanam Confessionem, ejus Apologiam & Repetitionem, Tomos Lutheri, Locos Communes à Philippo Melanchthone concinnatos, Ejusdem Examen ordinandorum, nec non librum de modo respondendi ad Articulos Bavaricos, est adornatum. In Synodis Gryphisvaldiæ A. cl̄o l̄o LIX, & qui hunc excipit, LX habitis, Præsidis Spartam Præsul ornavit. Idem A. cl̄o l̄o LXIV. generalem omnium Ecclesiarum visitationem injunxit D. Georgio Veneto & D. Michaeli Teuber Cancellario, qui Freienvaldiæ Henricum Dubberten Sartorem, ab anno tamen LV. Catecheseos in quatuor pagis doctorem, Diaconum constituerunt. Anno cl̄o l̄o LXIX Agenda (quæ vocantur) Ecclesiarum Pomeranica publici juris fiunt. Eodem anno Episcopus noster clavum regiminis Stetinenfis, quem deposuerat Barnimus Pius, accipit, & A. LXXIV præsulatui valedicit. Mortuus A. cl̄o l̄o l̄o.

1600.
XXIX.

§. VIII. Facta hac abdicatione CASIMIRUS Dux Pomeraniæ, Joh. Friderici Germanus, à Capitulo postulatus, Episcopus constituitur undetrigesimus. Gessit Episcopatum ad annum usque supra millesimum sexcentessimum, quo eundem deposuit, quinquennium abdicationi superstes. Cum anno præsentis seculi tertio Stetinenfis Regiminis fasces ei offerrentur, fratri iis Bogislao XIII. traditis Rügenvaldiæ tranquillam vitam vixit,

1603.

§. IX. Post hunc FRANCISCUS, Bogislai XIII. filius Præsul electus, & secundo hujus seculi anno in Cathedrali æde Camminensi confirmatus. Sedem suam Cöslini fixit, & cœnobium Monialibus Cisterciensis ordinis sacrum concionibus aulicis per M. Adamum Hammelium anno cl̄o l̄o IX dicavit, variisque exornari curavit picturis. Primus à concionibus aulicis M. Petrus Colemanus fuit, vocatus ex Pædagogio Stetinenfi. Peregrinationi se daturus Philippo fratri Episcopatum commisit. Redux 1610. A. cl̄o l̄o X. Sophiam Christiani II. Electoris Saxoniae filiam

1609.

1610.

liam matrimonio sibi jungit, celebratoque anno XVII. Ju- 1617.
bilæo, anno sequenti, justis fratri Philippo solutis, cum sce-
ptro Ducatus Stetinenfis, pedum episcopale commutavit,
quod fratri Ulrico transmisit.

§. X. Hic igitur ULRICUS anno seculi labentis XXXI.
XVIII. à Collegio Camminensi postulatus, & Patronorum 1518.
Legatis introductus. Eximii ingenii Princeps, cujus lucu-
lenta edidit specimina recitatis memoriter Orationibus in
Academia Rostochiensis, quæ bis ei scepra sua commenda-
vit. Ab hoc Cöslinense templum aulicum organo pneuma-
tico ornatum. Habuit in matrimonio Hedevvigam Ducem
Luneburgensem. Episcopatus sic præfuit, ut omnium sub-
ditorum flagrantissimum amorem sibi conciliarit: brevi
tamen gaudio, siquidem A. cl. l. c. XXII, ætatis XXXIV. 1622.
opinione citius DEO animam reddidit, corpusque magna
pompa Stetini monumento Principali illatum.

§. XI. Unicus adhuc supererat ex quinque Bogislai fi- XXXII.
liis, spes unica Patriæ, BOGISLAUS XIV, hujusque Patruelis
PHILIPPUS JULIUS. Iste igitur Episcopus legitur, hic
Coadjutor constituitur. Habuit hoc tempore Episcopalis
hæc dignitas procos plurimos. Ambiit eandem Romæ Ca- 1632.
nonicus quidam Salzburgeris, ambiit Viennæ ex Polonia
filius quidam Regius, Ferdinandus Carolus. Sed uterque
repulsas tulit. Bogislaus v. noster anno cl. l. c. XXXII. Se-
renissimum Principem ac Dominum, DOMINUM ER-
NESTUM BOGUSLAUM Ducem Crojæ & Arischott,
hodie SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBUR- 1637.
GICI in Prussia & Pomerania Orientali Vicarium, DO-
MINUM MEUM CLEMENTISSIMUM, designat,
qui etiam aliquandiu designati Episcopi titulo est usus. Quan-
doquidem vero, anno cl. l. c. XXXVII, cum hoc Episco-
po, universa Stirps Ducum Pomeraniæ, quæ sex viridanti-
bus ramis paulo ante æternaturum promiserat vigorem,

E 2

ex-

extingveretur, prorsus mutata est Episcopatus nostri
facies. Sit igitur

CAP IV.

præsentem

EPISCOPATUS CAMMINENSIS

faciem paucis delineans.

§. I.

Tristissimus isthac tempestate, ut totius Germaniæ, sic
Pomeraniæ præcipue status fuit, Patriæ Patris obitu ca-
lamitates bellicas immane quantum augente. Nihilomi-
nus tam aulæ quam provinciæ Primores homagii memores,
quo se ab obitu Ducum suorum in Septemviri Brandenbur-
gici potestate futuros sponponderant, morbum mortemque
Ducis SERENISSIMO ELECTORI GEORGIO WIL-
HELMO significant, suum simul consilium de administran-
da ad tempus Rep. humillime suggerentes. Quis tum Epi-
scopatus nostri fuerit status, nondum satis mihi perspectum.
Quamobrem his prætermisissis ad ea nos convertemus tem-
pora, quibus pax exoptatissima universæ Germaniæ red-
dita. Et sane quia in ipso Pacis Instrumento de Camminen-
sibus quoque cautum singulariter, verba huc spectantia in
medium afferemus. Sic autem illa habent art. X. *Quicquid
Juris in collatione Prælaturarum & præbendarum Capituli Cami-
nensis antehac habuerunt Duces Pomeraniæ citerioris, habeat impo-
sterum Regia Majestas, Regnumque Sveciæ perpetuo, cum potestate
eas extinguendi, redditusque mensæ Ducali, post modernorum Cano-
corum & Capitularium decessum applicandi; quicquid autem ulteri-
oris Pomeraniæ Ducibus competierat, competat Domino Electori
Brandenburgico, una cum integro Episcopatu Caminensi ejusque ter-
ritoriis, juribus & dignitatibus prout infra pluribus explicatur. Ar-
tic. v. XI. afferuntur sequentia: Regia quoque Majestas Sveciæ
restituatur Domino Electori pro se & successoribus suis hæredibus atque*
agna-

agnatis masculis. Primo reliquam Pomeraniam ulteriorem cum omnibus appertinentiis, bonis & juribus secularibus & Ecclesiasticis, pleno jure, tam quoad Dominium utile, quam directum. Deinde Colbergam cum toto Episcopatu Caminensi, omnique jure quod ulterioris Pomeraniae Duces hucusque habuerunt in collatione Prælaturarum & Præbendarum Capituli Caminensis, ita tamen ut salva maneat jura Regiæ Majestati Sveciæ supra concessa, atque ordinibus & subditis in restitutis partibus ulterioris Pomeraniae, Episcopatu Caminensi, competentem eorum libertatem bona, jura, & privilegia secundum tenorem litterarum Reversalium (quibus etiam ordines & subditi Episcopatus gaudere debent, ac si iis directe datæ essent) cum libero Augustanæ Confessionis exercitio, juxta invariata Augustanam Confessionem absque ulla perturbatione perpetim fruendo, circa homagii renovationem & præstationem, omni meliori modo confirmet & conserve.

§. II. Ex his utut hodierna Episcopatus Caminensis conditio satis eluceat, clarius tamen eandem proponunt Recessus limitanei inter Regem Sveciæ ac Electorem Brandenburgicum Stetini, Anno dñi 1643 LIII. firmati, articuli XXIV. & XXV, quos subjicimus. *Etsi urbs Caminensis cum suo territorio Sacræ Regiæ Majestati ac Regno Sveciæ à sua Serenitate Electorali cessa sit, Capitulum tamen Caminense, ex dispositione Instrumenti Pacis ac pacto hereditariæ unionis Ducum Pomeraniae, nec non vigore præsentis transactionis, utrique commune remanet. Consistit autem ea communio in sequentibus: nempe in jure Patronatus, Privilegiorum, Capituli confirmatione, visitatione Ecclesiæ Cathedralis, ac rationum reddendarum examine, revisione ac reformatione Statutorum Capituli, Collectarum participatione (vulgo Steuren) ex bonis communibus, servitiis equestribus (der Rosdienste) in quibus utraque pars ex æquo participat, nisi quod insuper servitia equestria ratione pagorum, Frikow & Raddeß Sacræ Regiæ Majestati cessorum, ab Episcopatu Caminensi, quo antehac spectarunt, ad Sacram Regiam Majestatem Regnumque Sveciæ translata sint;*

ac denique in homagii præstatione, ratione eorum, quæ à Capitulo u-
eriq; Patrono conjunctim debentur ac præstantur, salvis seruitiis per-
sonalibus, ex speciali obligatione ab unoquoque Prælatorum suo Col-
latori debitis. Ratione tamen participationis Collectarum hunc in
modum specialiter conventum est. Cum collectæ ex bonis Præpositu-
ra, nempe Rukelow/Defin/Landen & Saugliz per hanc trans-
actionem territorio Regio nunc incorporata sint, ut Collectæ ex illis
bonis juxta normam matriculæ provincialis, citeriorem Pomeraniam
imposterum sequantur; ex bonis vero communibus juxta eandem
normam Electorali parti loco æquivalentis Collectæ ex pagis Rains-
berg/Lüchtentzin/Horst/Lansin/Schlewin/Revohl/Minis-
chow & Necklas vicissim cedant. Prædicta vero communio ad
Episcopatum Caminensem, soli Electori cæssum extendi non debet. Art.
XXV. Quamvis autem à Sacra Cæsarea Majestate ac Imperio vi-
gore Artic. X. §. Quicquid &c. nec non art. XI. Instrum. Pacis §.
Teneatur id Dominus Elector &c. utrique Patrono post decessum mo-
dernorum Canonicorum & Capitularium, potestas Capitulum extin-
guendi, reditusque ejus mensæ Ducali applicandi concessa sit, tamen Sa-
era Regia Majestas, nec non Serenitas sua Electoralis, salvo acquisito
jure ex singulari gratia & favore (hac tamen expressa lege & con-
ditione, ut Capitulum sese erga Patronos vicissim gratum gerat, nec
gravi aliqua ingratitude, à toto collegio, collegialiter commissa, se-
metipsum hac Regia & Electorali gratia & favore speciali indignum
reddat) consentiunt ut dictum Capitulum ratione administrationis
in priori statu, nempe ut ratione status, dignitatis, formæ, modi, ce-
terorumq; (sola facultate Episcopum eligendi exclusa) quæ per fun-
dationem privilegia ac conventiones acquisivit, juxta normam Sta-
tutorum & Pactorum hæreditariorum, plane idem, nec non utrique
parti commune permaneat &c.

§. III. Scilicet ut ipsa Pomerania, sic Capitulum quo-
que Camminense inter Regem Sveciæ & Electorem Bran-
denburgicum quodammodo est divisum. Episcopatus ta-
men, qui pristino corpori suo, Ducatui Pomeraniæ ulterio-
ris

ris restitutus, solo nomine hodie gaudet, Serenissimo Electo-
ri, cui Jus Episcopale à Denominato Episcopo, Serenissimo
Duce Crojæ concessum, est proprius.

§. IV. Hinc Capitulum Camminense, utot civitas sub
potestate Regis Sveciæ hæctenus fuerit, non magis ab hoc,
quam Serenissimo Electore Brandenburgico fuit constitu-
tum. Constat autem hoc ex Præposito Basilicæ, qui hodie
sæpe laudatus DUX CROJÆ & Collegio Prælatorum atq;
Canonicorum, Collegium Prælatorum absolvitur Decano,
Cantore, Thesaurario, Scholastico, Vice-Domino titulo Præ-
lati gaudente.

§. V. Ab his, ante enatas turbas bellicas, Canonici à
Patronis præsentati, eligi, vocari vero partem à S. Regia
Majestate, partem à Serenissimo Electore consueverunt.

§. VI. Plura hac vice addere non licet. Turbulenta
hæc belli tempora in his quid mutârint, aut mutatura sint
dies docebit. Nos finientes ex animo precamur, ut DEUS
T. O. M. SERENISSIMI atque POTENTISSI-
MI ELECTORIS BRANDENBURGICI, Pa-
triæ Patris Gloriosissimi, victricibus armis secundos porro
successus largiatur, quoad in pace vivere non licet, quam
tamen ut brevi reflorescere velit, voti nostri
summa est.

S. D. G.

COROLLARIA.

Minus recte Abstracti & Concreti notionem explicant,
qui illud nomen Substantivum, hoc vero Adjectivum
esse dicunt.

Causa per accidens, quæ talis, non est vera causa.

Non omnis materia est causa interna.

Q. An

Q
T
3358

Q. An finis sit causa secundum esse reale, an vero secundum esse objectivum?

Non implicat duas causas unam esse causam.

Q. An in ordine ad DEUM, tanquam primum motorem, dari possint Effectus Casuales & fortuiti? N.

Q. An memoria sit sensus? N.

Dari rectam rationem qui negat, dum negat, asserit.

Virtutis forma, accurate loquendo, non est mediocritas, sed potius essentialis habitudo ad mediocritatem.

Peccati genuina notio haberi potest, licet non habeatur respectus ad legem.

Frustra sibi placet Adr. Heereboord ridiculo in infinitum progressu, quando voluntatem semetipsam determinare negaturus, non posse eam velle dicit, nisi velit velle, nec posse velle velle, nisi velit velle velle &c. Colleg. Eth. Disp. X, Th. IX. p. 47.

Majestas non plena vera est Majestas.

Dari Remp. Mixtam non repugnat.

ERRATA.

Cap. I. §. 7. l. 1. pro *suspicienda* leg. *suscipienda*. §. 19. l. ult. pro *ulla* leg. *ullo*. §. 22. l. ult. leg. *Facultatum*. Cap. III. §. 4. l. 5. leg. *Manteuffel*/ *ib.* lin. antepen. *Cureke* in §. 5. lin. 5. à fine, pro *insulam, insulam*. §. VI. add. in marg. XXVII. Reliqua, quæ festinantes oculos effugerunt, benevolus lector haut gravatim ipse corriget.



m.t



Pou Thu 3358, QK

ULB Halle

3

002 423 847



WOM

o
n
it.
i-
a-
i-
a-
ec
p.
19.
4.
ro
n-
et.










Lite

M. MIC

SUP

EPI



feri.

18

R 18.



HIUS,

SSU,

TUS